

verbo DEI exponimus, eamque ex contritione & fide in Christum constare adstruimus, non desinunt nos hostes criminari sub MONTANISTARUM, NOVATIANORUM, JACOBITARUM & AUDAEANORUM nominibus: Si quaeras, unde tam acerba sententia? habebis responsum, quod cum Montanistis ac Novatianis sententiam pro Sacramento non agnoscamus: *Poenitentiam Sacramentum esse, primi negarunt Montanistae & Novatiani*, scribit Bellarminus: *Hanc antiquissimam haeresin jam olim damnatam iterum excitare conatus est Lutherus. L. I. de Poenit. c. IX. p. 1621. & lib. 4. de Eccles. c. 9. p. 320.* Verum neque in Montani neque Novatianorum haeresibus hoc reperitur, sed rejecerunt utrique post baptismum lapsos, nec poenitentiam admiserunt: quod facere Lutheranos ne invidia quidem ipsa asseret. *μετὰ τὸ λυτρὸν μηκέτι δύνασθαι ἐλεῖσθαι παραπεπτωκότα*: Hoc erat velut tessera Novatianorum, secundum Epiphanium Haeres. 59. Edisserant adversarii nostri, num tale quid apud nostros deprehenderint? Quod Lutherus re serio pensitata, pristinam sententiam in adstruendo Poenitentiae Sacramento dereliquerit, recte fecit; non nisi enim improprie hoc nomine venire potest, quae mens etiam Apologiae est Aug. Confessionis. p. 200. Anne vero negat Poenitentiam, qui Sacramentum non dixerit, quum Scriptura pro tali non agnoscat. Nam vel conjugium divina est ordinatio, tametsi Sacramentum non sit. Dum peccatorum enumerationem, & auricularem Confessionem, speciatim poenitentias & satisfactiones non admittimus, JACOBITAE & AUDAEANI ipsis audimus, speciatim ALPHONSO de CASTRO & GVILIELMO BAILIO, apud GERH. p. 1314. Verum quid non ex nobis fingent sibi adversarii? Jacobitas sive veteres sive novos seu Abyssinos in commercium nostrum neque adsciscimus, nec eos tale quid si stutuerent, damnaremus, nam Pontificio-

cio-